

† R. P. Leonardus Booten (1861-1936)

(*E Prov. Holland.*)

Huic veterano accommodari possunt verba quae S. Matthaeus (4, 23) de Christo Domino scripsit: *Et circuibat Iesus totam Galileam, docens in synagogis eorum, et praedicans Evangelium regni, et sanans omnem languorem et omnem infirmitatem in populo.* Per dimidium quippe saeculum P. Booten patriam nostram quaquaversus percurrens ubique s. misiones tradidit, et in hoc arduo apostolatu ad 74^m annum usque perseveravit. Quare confratris in ministerio externo tam bene meriti piam memoriam servare aequum videtur.

Leonardus Booten d. 5 Augusti 1861 lucem huius saeculi aspexit in pago Ulestraten, dioecesis Ruremundensis. Natus 15 annos in iuvenatum venit, quod studiorum humaniorum institutum nunc quidem Neomagi floret tunc autem velut tener surculus parumque conspicuus Ruremundae plantatus vix 10 alumnos habebat. In Leonardo nostro nihil puerile inveniebatur; immo voce et habitu serii quiddam et adulti prae se ferebat. Simplicitate morum et bonitate aequalibus omnibus carus erat; nunquam aut raro excandescibat, licet supra dorsum eius, ut aiunt, ligna caedere vellent. In orando devotissimus erat suamque devotionem nativo candore manifestabat; uti illo die, cum quasi s. communionem suscepturus lingua exserta coram Sanctissimo inventus est. Iam tunc de eo dici poterat, prout postea

Wittemii a R. P. Dubois, celeberrimo studentium Praefecto, dicebatur: *Ecce vere Israelita in quo dolus non est* (Io. 1, 47).

Die 15 Octobris 1881 vota professus, die 8 Octobris 1886 sacerdotio auctus, primum collegio Wittemiensi adscriptus est. Exinde totis viribus praedicationi Verbi Dei, tanquam primario missionarii muneri, incumbere coepit, multas missiones in parte meridionali Neerlandiae, in provincia

catholica Limburgi tradens. Nondum tunc hodierna media itinerantibus praesto erant, nondum recentiores vitae commoditates in hospitia introductae. Sed in comitatu aliorum missionariorum virtute antiqua (*très simples, pas difficiles, se contentant de peu* — uti Pius Pp. XI dicebat ¹) didicit itineris molestias hospitique frugalitatem patienter tolerare. Insimul didicit comem illum familiaremque cum fidelibus usum, quo corda vel immitissima mulcentur, laborque utut arduus lenitur et dulcescit.

Patris Booten non quidem erat ex tempore dicere, verum quae dicenda habebat, sive de proprio sive de alieno penu deprompta, mira vi et ardenti pectore, quod Quintiliano

teste disertum facit, dicebat. Qui ipsum e suggestu dicentem audiebant, statim non declamatorem, sed verum contionatorem sentiebant, qui — ad tramitem Regulae — non plausus sibi comparare, sed homines ad Deum reducere studebat; non seipsum, sed Christum crucifixum unice quaerebat. Corpori valido vocem robustam et claram iungebat, qua sermo eius in templorum vel amplissimorum angulis audiebatur. His dotibus munitus eximius missionarius populi erat et usque ad senium permansit, etiam cum increscente numero sodalium nova phalanx eaque praeclara in campum venit. Praesertim in maioribus sermonibus vespertinis locum suum retinuit. In suggestu severus, in tribunali poenitentiae boni pastoris partes implens bonitate et indulgentia plenus erat; ubi in peccatoribus, qui ipsum frequenter adibant, bonam voluntatem perspiciebat, cito contentus erat ita ut aliquando, quemadmodum etiam de Patre Bernardo narratur, conscientiae scrupulis angeretur ne indulgentius cum ipsis egisset.

¹ *Analecta* XV (1936), 9.

P. Booten, ut verus S. Patris Nostri filius, populum simplicem in vicis et pagis morantem maxime amabat: inter pauperes et humiles sibi complacebat; verum etiam in civitatibus et maioribus oppidis vox eius desiderabatur. Elenchum « missionum provincialium » percurrentes vix ullam invenimus, in qua nomen eius, sive ut Superioris sive ut primarii missionarii, non occurrat. In longo 50 fere annorum curriculo haud minus quam 438 missionibus et renovationibus decem dierum interfuit, 495 exercitia spiritualia Sororibus, Fratribus, puerorum et puellarum collegiis dedit, et plus quam 100 octavas, tridua, aliaque pia exercitia praedicavit. Nihil tamen magis quam missiones cordi ipsi erat; et cum nova tempora novam apostolatam rationem visa sunt postulare, veteranus miles sententiam rogatus Superioribus metum expressit, ne missiunculis seu recessibus popularibus nimium promovendis missiones proprie dictae detrimentum caperent.

R. P. Booten non optimus tantum missionarius, sed genuinus quoque Redemptorista exstitit, qui Regulas et Constitutiones, dum domi moratur, exacte observabat et vitam communem amabat. Non opus est dicere de spiritu mortificationis et sui abnegationis, quo imbutus erat. Si enim sine hoc spiritu verus missionalis ne cogitari quidem potest, quid de eo, qui per 50 annos indefesse adlaboravit, et cui nullus dies acerbior fuit quam quo confiteri debuit: « Vires me deficiunt »? Testantur insuper sodales nullum unquam laborem nimium ipsi fuisse. Cum Apostolo (2 Cor. 12, 15) libentissime impendebat et super impendebatur ipse pro animabus salvandis. Dicebamus de persuadendi vi, qua in suggestu loquebatur; sed haec persuasio ortum ducebat ex intima fide aeternarum veritatum quas praedicabat, et nutriebatur spiritu orationis, qui ipsi magno gradu proprius erat, et cui copiosam illam benedictionem, quae laborem eius comitabatur, adscribere oportet.

Erga Superiores suos reverentia et observantia plenus erat: quidquid laboris ei imponebatur, ipse nunquam difficultates movebat. Confratres suos honore praecedebat, iunioribus bono exemplo praeibat. Licet in rebus scientificis ipse aliis plurimis inferior non esset, tamen de seipso demisse admodum sentiebat, immo in elucubrandis sermonibus aliorum confratrum opem libenter invocabat. Cubiculum pauperrimum servabat; praeter quatuor imagines chartaceas a Regula concessas nullas alias habebat nisi quasdam devotionis imagunculas easque S. P. N. Alfonsi et beatorum confratrum, quas in mensula positas saepe osculabatur. — Et quam gratus erat in Congregationem pro beneficiis ab ea receptis! Quam iocose et simul serio diebus recreationis extraordinariae, cum mensam melioribus dapibus instructam videret, repetere solebat: *Haec cum Congregatione iungunt!* seipsum et alios ad grato animo liberalitate communis matris fruendum adhortans. Quanti hic verus S. Alfonsi et Congregationis filius a Supe-

rioribus et confratribus haberetur cernere licebat occasione aurei professionis iubilaei die 15 Octobris 1931 Ruremundae celebrati. Rñus P. Generalis merita eius agnovit eum bis nominando Consultorem Rectoris; quanquam ipse nunquam aliquod munus honorificum quaesierat.

P. Booten pro filiali sua devotione erga Beatissimam V. Mariam apud Sanctuarium Ruremundense in Arena, ubi sub tutela Matris prima germina vocationis effloruerant, mortales exuvias ponere exoptaverat. Votis eius benignissima Mater annuit. Anno 1930 Consultor Rectoris nominatus in domo Ruremundensi, ibidem die 10 Ianuarii 1936 supremum diem obiit, corpus autem in coemeterio in horti angulo sito gloriosam resurrectionem expectat. R. I. P.